



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XXV. De peccato veniali. ad q. 89.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



7. Instabis: Ordo Divinae justitiae exigit, ne peccatum puniatur ultra suam exigentiam demeritoriam; sed exigentia demeritoria peccati venialis, etiam ut conjuncti cum peccato mortali tantum est ad poenam temporalem: ergo secundum ordinem Divinae justitiae veniale etiam ut conjunctum cum mortali non nisi poena temporali punitur. Minor probatur. Conjunctio cum mortali non mutat naturam peccati venialis, nec illud trahit extra suum genus: sed peccatum veniale ex genere suo tantum habet exigentiam demeritoriam ad poenam temporalem: ergo etiam ut conjunctum cum peccato mortali tantum exigit poenam temporalem.

Respondeo negando minorem, ejusque probationem distinguo: peccatum veniale ex genere suo tantum habet exigentiam demeritoriam poenae temporalis, negativè [hoc est, non exigit majorem poenam, quam temporalem; ita tamen ut ex adjuncta conditione subjecti possit admittere vel positivam exclusionem, vel exigentiam poenae aeternae] concedo; positivè, nego min: ergo etiam ut conjunctum cum mortali tantum exigit poenam temporalem, quantum est de se ne-

gativè, concedo; quantum est ex conditione subjecti, positivè, nego consequentiam.

Igitur observandum est ex Salmantic. hinc disp. 17. n. 74. Peccatum veniale considerari posse in triplici statu. Primò, prout connotat subjectum DEO gratum per gratiam & charitatem, quâ ratione determinatè exigit poenam temporalem, & excludit aeternam. Secundò, prout connotat subjectum DEO exosum per peccatum mortale, & sic positivè exigit poenam aeternam, quia ex conditione talis status fit irremissibile in sensu composito illius status. Tertio, prout praescindit à connotatione & conditionibus subjecti, & sic non postulat quidem poenam aeternam, est tamen indifferens, ut juxta conditionem subjecti vel habeat determinatam exigentiam remissionis, adeoque & temporalis punitionis, si illud sit constitutum in gratia; vel determinatam exigentiam poenae aeternae, si illud sit constitutum in statu peccati mortalis, eò quòd subjectum DEO exosum in sensu composito illius status, etiam in peccatum veniale refundat tam culpae, quam poenae irremissibilitatem.

## DISPUTATIO XXV.

DE

### Peccato veniali, ad q. 89.

Hactenus de peccato personali mortali, tanquam principali analogato sub nomine & genere peccati, dictum: nunc peccatum veniale subjungimus; sic appellatum, quòd non destruat principium veniae, h. e. gratiam & charitatem; quemadmodum ex opposito mortale dicitur, quòd destruit gratiam, tanquam principium vitae supernaturalis.

### ARTICULUS I.

#### An, & quid sit peccatum veniale?

##### SUMMARIUM.

1. Fides docet dari venialia.
2. Quae sunt talia ex sua natura.
3. Alia venialia ex genere suo, alia per accidens.
4. Plures differentiae inter mortale & veniale.
5. Quid sit actum esse simpliciter contra legem?
6. Primaria differentia inter peccatum mortale & veniale.
7. Objectiones.
8. Solvuntur.
9. Regula discernendi veniale a mortali.

##### §. I.

##### Prasupposita.

1. Suppono primò tanquam de fide certum, dari quaedam peccata venialia. Ita definitum est in Concilio Milevit. can. 7. & Trid. Sess. 6. c. 11. deducitur ex S. Script. Matth. 7. ubi aliqua peccata festuca, alia verò trabi comparantur. Item Eccles. 7. Prov. 14. & Jac. 3. ubi dicitur, omnes homines, & quidem quotidie peccare, quod de

R. P. Mezger, Theol. Schol., Tom. 11.

peccatis mortalibus non potest intelligi, cum multi reperiantur sancti & justii, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela, ut constat ex Luca 1. Gen. 6. Job. 1. Dan. 6. igitur tantum intelligi potest de levibus & venialibus peccatis, in quae etiam justii cadunt, juxta illud: *Septies in die cadit justus*. Ratio congruentiae est: quia etiam in sacra amicitia & civili societate committuntur offensa aliqua graves, aliqua verò leves: ergo idem contingere potest in amicitia, quae DEUM inter & hominem intercedit.

Suppono secundò. Dari venialia, quae non sunt talia propter solam extrinsecam non imputationem DEI, sed ex sua natura intrinseca; nam ita primò definirunt Pius V. & Gregorius XIII. damnantes hanc propositionem Michaelis Bay: *Nullum est peccatum naturè suè veniale*: sed omne peccatum meretur poenam aeternam. Secundò: quia sunt aliqua peccata, quae non feruntur in objectum repugnans charitati, suntque offensa

H h 2

iones



siones in rebus levissimis, ut verbum otiosum, aspectus curiosus, &c. Nec obest primò, quòd Ezech. 28. & Rom. 6. mortis comminatio peccato absolute annectitur: *Stipendium peccati mors*: tunc enim Tò peccatum supponit pro suo significato & analogato principali, quod est peccatum mortale. Nec obest secundò, quod dicitur Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*, [quo videtur indicari peccatum veniale] *minimus vocabitur in regno cælorum*, h. e. in resurrectione computabitur inter minimos, seu reprobos. Non enim Christus per mandata minima intelligit illa, quæ tantum obligant sub veniali, sed quæ juxta vulgi & Phariseorum opinionem habebantur & negligebantur tanquam minima, uti de non irascendo, de non concupiscendo, &c.

3. Suppono tertio. Aliqua peccata esse venialia ex genere suo, h. e. secundum speciem ab objecto desumptam; aliqua verò per accidens tantum, nempe ex defectu deliberationis vel parvitate materiæ: illa specie essentialiter, ista verò accidentaliter distinguuntur à peccato mortali supra dictum est; in hoc nimirum sensu, quia ex fine proximo operis & meritis objecti peccata, quæ sunt venialia ex defectu deliberationis, vel parvitate materiæ, pertinent ad eandem speciem, ad quam pertinet mortale: sic enim leve furtum æquè est peccatum injuriæ, quam furtum grave, & semideliberata concupiscentia æquè est contra castitatem, quam perfectè deliberata. Quo tamen non obstante spectando habitudinem operantis ad finem ultimum, etiam hæc venialia essentialiter, & quidem toto genere differunt à quolibet peccato mortali.

4. Suppono quarto, complures esse differentias inter peccatum mortale, & veniale: Primò, quòd mortale destruat charitatem & gratiam, non autem veniale. Secundò, quòd per illud homo simpliciter avertatur à DEO, & rationem ultimi finis collocet in creatura; non autem per veniale. Tertio, quòd mortale inducat mortem animæ, non veniale. Quarto, quòd inordinatio peccati mortalis sit ab intrinseco irreparabilis, quia non relinquit radicem & principium veniæ; veniale ab intrinseco sit reparabile, quia relinquit gratiam & charitatem, quæ est principium veniæ. Quintò, quòd mortale inducat reatum pœnæ æternæ; veniale reatum pœnæ temporalis. Sextò, quòd mortale sit simpliciter contra legem, veniale verò secundum quid.

5. Ubi nota, quòd actus possit dici simpliciter esse contra legem ex duplici capite: primò *ex parte legis*, cum nempe legis observantia est necessaria ad conservationem charitatis & amicitiae cum DEO, quæ est præcipuus effectus legis: secundò *ex parte actus* seu tendentiæ contra legem, quando nimirum actus habet efficacem repugnantiam cum lege, & omnes conditiones ad actum perfectè humanum requisitas. Peccatum mortale utroque modo est contra legem simpliciter; primò ex parte actus, quia est tendentiæ deliberata in objectum dissonum rectæ rationi; deinde ex parte legis, eò quòd lex, cui adversatur, sit necessaria ad conservandam conjunctionem cum DEO ut fine ultimo. Peccatum verò ve-

niale si sit tale ex parvitate materiæ, aut levitate objecti, non est simpliciter contra legem, Tò simpliciter accipiendo ex parte legis; si sit tale ex defectu deliberationis, non est simpliciter contra legem ex parte actus. His positis quartumque nam ex istis differentiis sit principalior, & radicalior ad distinguendum veniale à mortali?

## §. II.

*Statuitur primaria differentia inter mortale & veniale.*

**CONCLUSIO.** *Præcipua & primaria differentia peccati venialis à mortali est, quòd per veniale homo non simpliciter & efficaciter à DEO ut ultimo fine avertitur, neque per illud divina amicitia destruitur, neque simpliciter contra legem peccatur.*

Ratio est: Illa est primaria differentia inter mortale & veniale peccatum, per quam genus peccati ut sic immediatè dividitur in mortale & veniale: sed per differentias prædictas peccatum ut sic immediatè dividitur: ergo. Minor probatur: Inordinatio & contrarietas ad legem proximè & immediatè dividitur in inordinatam efficacem ab ultimo fine, & inefficacem secundum quid; item contrarietas ad legem dividitur immediatè per hoc, quòd sit simpliciter, vel secundum quid: sed peccatum ut sic est actus inordinatus contra legem DEI: ergo peccatum ut sic per prædictas differentias proximè & immediatè dividitur.

Dices primò. Offensa personæ infinitæ est infinita, siquidem ratio offensæ creditur juxta dignitatem personæ offensæ: sed quòdlibet peccatum est offensæ personæ infinitæ: ergo quòdlibet peccatum est infinitum: adeòque nulla est ratio distinguendi inter mortale & veniale peccatum. Secundò. Illa culpa est gravis & mortalis, pro qua eligibilior est pœna æterna, sed pœna æterna est eligibilior, quam quælibet culpa peccati: ergo quælibet culpa peccati est gravis & mortalis.

Respondeo ad 1. si est offensæ simpliciter talis, concedo; si offensæ secundum quid, nego. Istud peccatum veniale est offensæ personæ infinitæ, ut tamen sit de genere offensæ secundum quid, concedo; simpliciter, nego min. & consequentiam. Ad 2. nego maj. hæc enim major eligibilior est eo pro venit, quòd pœna quæcunque continetur intra ordinem mali naturalis, & non sit malum DEI, sed malum hominis; e contra quælibet culpa etiam levissima pertinet ad ordinem mali moralis, estque mala ipsi DEO: atqui malum naturale, cum simpliciter possit esse bonum, & in genere moris possit esse causa meriti & virtutis, habet eligibilitatem aliquam, e contra malum morale, cum sit simpliciter & absolute malum à natura prorsus habet eligibilitatem.

Quæres. Undenam cognosci possit, quòd aliquod peccatum sit mortale, aut veniale?

Respondeo ex Sylvio hic tres regulas & signa observari posse: primò, quæ in sacra Scriptura vocantur *abominabilia, digna morte*, iisque gravissimæ pœnæ & comminatio adjungitur, esse mortalia, uti sunt peccata ab Apostolo recensita Gal. 3. quibus adduntur illa verba: *Quoniam qui talia*



agunt, regnum DEI non consequentur. Quæ verò mitioribus terminis notantur, esse venialia, sicuti Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Secundò attendi debet ad communem consensum SS. PP. DD. & fidelium, ex quo cognoscimus binam refectionem in diebus jejunii esse peccatum mortale; refectionem verò in-

choatam ante meridiem esse veniale. Tertio: quæ graviter lædunt charitatem DEI, vel proximi, sunt mortalia; quæ verò leviter tantum, sunt venialia. Præterea attendi debet ad quantitatem deliberationis, advertentiam, & materiæ, genus peccati, tenorem legis, &c.

## ARTICULUS II.

*An ex peccato veniali fieri possit mortale?*

## SUMMARIUM.

1. *Status questionis.*
2. *Idem numero actus moraliter non potest ex veniali fieri peccatum mortale.*
3. *Nec multa venialia possunt integrare unum mortale.*
4. *Quid sentiendum de minutis furtulis?*
5. *Veniale peccatum disponit ad mortale.*
6. *Aliquando directè.*
7. *Aliquando indirectè.*

## §. I.

*Statuitur negativa.*

1. **C**ertum est primò: actum, qui ex objecto spectatus tantum esset venialiter malus, ex fine vel aliâ circumstantiâ habente gravem deformitatem posse effici mortaliter peccaminosum, quemadmodum etiam actus ex objecto bonus per malum finem vel circumstantiam vitari potest, ut si verba jocosa proferantur in finem fornicandi.

Certum est secundò: actum ex objecto tantum venialiter malum fieri graviter peccaminosum, quando affectus peccantis erga illud objectum adeò est exorbitans, ut quis propter illud sit paratus etiam grave præceptum transgrediendi.

Certum est tertio: peccatum ex se leve gravem malitiam contrahere, quando fit cum formali contemptu legis, aut legislatoris: aut quando est occasio proxima incidendi in peccatum mortale, ut est otiosa confabulatio cum persona, cum qua quis scit se sæpius peccasse.

Certum est quartò: Unum eundemque actum in esse physico invariatur posse ex venialiter malo successivè fieri mortaliter peccaminosum; ita quippe actus voluntatis à principio venialiter malus propter imperfectam deliberationem, accedente plenâ advertentiâ fit peccatum mortale. Triplex igitur superest dubium, primò, an idem numero actus etiam invariatur, in esse moris fieri possit è veniali mortalis? Secundò: An venialia per multiplicationem ita augeri possint, ut tandem pertingant ad malitiam & quantitatem peccati mortalis? Tertio: An veniale possit esse dispositio ad peccatum mortale?

2. **CONCLUSIO PRIMA.** *Non potest idem numero actus in esse moris fieri ex peccato veniali peccatum mortale; neque potest cum multis peccatorum venialium quantumcumque multiplicatus ascendere ad malitiam peccati mortalis.* Ratio primæ partis est: Quando mutatur voluntarium, tunc etiam mutatur moralitas actus; siquidem

ista essentialiter radicatur in voluntario libero: sed quotiescunque fit ex veniali mortale, toties mutatur voluntarium; ergo etiam mutatur moralitas actus; & consequenter actus non manet idem numero in esse moris. Min. probatur; quia in peccato veniali supponitur tantum adfuisse semiplena libertas, in peccato verò mortali adest libertas plena; sed hæc est diversitas & mutatio voluntarii: ergo.

Confirmatur. Mutato practico dictamine, à quo actus dependet in esse moris, mutatur ipsius moralitas; sed aliud est dictamen practicum, à quo deviat peccatum mortale, aliud à quo deviat veniale: ergo. Min. probatur; quia regula, à qua discordat peccatum mortale, est practicum dictamen de conservanda charitate & conjunctione cum fine ultimo, regula verò à qua discordat veniale, est dictamen de conservando fervore charitatis; sed hæc sunt diversa dictamina: ergo.

Ratio secundæ partis est: Quantumcumque multiplicentur individua unius generis & ordinis, nunquam tamen pertingunt ad individuum ordinis superioris; sicuti quantumcumque multiplicentur accidentia, nunquam tamen pertingunt ad lineam substantiæ: sed peccata venialia pertinent ad genus & ordinem peccati venialis: ergo quantumcumque multiplicentur, nunquam tamen pertingunt ad gravitatem peccati mortalis, quod est in diverso ordine & genere.

Obijcies: Qui sæpius per minuta furta peccat venialiter, tandem perveniendo ad gravem materiam, etiam peccat mortaliter; ergo ex pluribus minutis & venialibus peccatis tandem integrari & resultare potest peccatum mortale.

Respondeo negando consequentiam; nam quando per minuta furtula pervenitur ad notabilem materiam, ex qua grave & notabile damnum proximo inferitur, non ideo peccatur mortaliter, quia ex omnibus precedentibus furtis, tanquam partibus integrantibus, resultat peccatum mortale; sed quia advertens ad gravitatem damni in ultimo furto peccat mortaliter: quod licet seorsim spectatum furtum sit rei levis, quatenus tamen accipitur cum connotatione ad materiam omnium furtorum precedentium, cum quibus materia ultimi furci grave damnum constituitur supponitur, sic habet rationem gravis iniuriæ sufficientis ad peccatum mortale.



## §. II.

*Quomodo peccatum veniale sit dispositio ad mortale?*

5. **CONCLUSIO SECUNDA.** Peccatum veniale potest esse dispositio ad mortale, aliquando directa, aliquando vero indirecta. S. D. a. 3. & seqq. & habetur Eccli. 19. *Qui spernit modicam, paulatim decidet.*

Ratio primæ partis est: Quod minuit vires ad superandas tentationes & difficultates occurrentes in observantia præceptorum, est aliquo modo dispositio ad mortale; sed peccata venialia has vires minuunt, quippe fervorem charitatis & abundantiam divinorum auxiliorum.

Ratio secundæ partis est: Quia voluntas per actus imperfectos, ob levitatem materie vel defectum plenæ advertentiæ, disponitur ad actus perfectos ejusdem generis vel speciei: sed hoc est directe disponi: ergo.

Ratio tertiæ partis est: quia peccata ex genere suo venialia, cum specie sint distincta à mortalibus, nullam habent subordinationem, & institutionem ad illa; solum ergo disponunt indirectè vel minuendo fervorem charitatis, vel gerando habitus vitiosos, vel augendo peccatis affectum erga res creatas, ut tandem non vereantur propter illas graviora etiam præcepta transgredi.

## ARTICULUS III.

*In quo formaliter consistat macula peccati venialis?*

## SUMMARI A.

1. Datur macula peccati venialis.
2. Qua non est simpliciter talis.
3. Fervor charitatis dividitur in intensivum & extensivum.
4. Quodnam sit impedimentum charitatis?
5. In quonam consistat fervor charitatis?
6. Quatuor effectus peccati venialis.
7. Macula peccati venialis non est peccatum non retrahendum.
8. Non etiam positiva adhesio ad res creatas.
9. Neque privatio actus à charitate eliciti, vel imperati.
10. Sed privatio fervoris extensivi.
11. Exponitur locus Angelici Doctoris.
12. Subiectum macule venialis est voluntas.

## §. I.

*Prænotanda.*

1. **Notandum primò.** Etiam à veniali peccato aliquam maculam in anima relinqui; ita enim affirmat S. Script. quòd homines etiam iusti & Sancti non careant omni maculâ. Prov. 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum?* Job. 15. *Quid est homo, ut immaculatus sit?* Job. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.*
2. **Notandum secundò.** Hanc maculam peccati venialis non esse simpliciter sed secundum quid talem; neque per ipsam denominari hominem simpliciter immundum & maculatum, quemadmodum denominatur à macula peccati mortalis: nam per veniale non impeditur habitualis animæ nitore, quem percipit ex gratia & charitate, per quem anima secundum omnes suas vires exornatur & ordinatur in DEUM: magis igitur impedit splendorem actualem, qui provenit ex actibus diversarum virtutum: neque minuit ipsam charitatem, sed fervorem charitatis. De quo
3. **Notandum tertio.** Fervorem charitatis alium dici intensivum, alium verò extensivum. Intensivus est gradualis perfectio, seu intensio, quæ in habitu, vel actu charitatis reperitur. Extensivus est habitus & promptitudo charitatis, quæ per varios actus, sive elicitos sive imperatos, sua-

viter & promptè movetur in DEUM. Cum enim charitas in aliarum virtutum actus tenquam eundem radix & regina imperativè influat, tunc dicitur esse extensivè ferventior, quando non tantum in propriis actibus elicendis, sed etiam in aliarum virtutum & virtutum inferiorum actibus imperandis ac dirigendis in DEUM nullam patitur impedimentum, ita ut per eum redundantiam in vires inferiores [Inquit S. D. 97. de malo, a. 1.] homo possit dicere illud psalmi 87. *Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.*

Notandum quartò. Prædictum impedimentum, ne charitas tam expedite feratur in DEUM, consistere in inclinatione inordinata voluntatis ad aliquid temporale, quæ per veniale peccatum relinquitur, quamdiu enim talis inordinata adhesio durat, vi cuius voluntas offerente se oportunitate circa illud objectum inordinatè se gereret, tamdiu charitas non ita expedite circa illud objectum versari, idè in DEUM referre potest. Quantò verò quisque à terrenarum rerum affectu est purior: tantò fit cum DEO familiarior. Ideoque S. D. ad remissionem peccati venialis requirit amotionem istius impedimenti 3. p. q. 87. ad 3. dicens: *Ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur voluntas nata adhesio ad rem temporalem.*

Notandum quintò. Fervorem extensivum seu habitatem prædictam charitatis non consistere in aliqua entitate modali superaddita ad habitum charitatis, ut vult Jo. à S. Th. siquidem has modalitates ut superfluas universim rejectas suppono. Neque in ipso actu charitatis elicito, vel imperato: quia habitus non se actu extendit ad aliquod objectum, nisi ut potens se extendente, adeòque per prius concipitur habitualis extensio in actu primo, quàm actualis & in actu secundo. Neque tertio consistit in habitu charitatis præcisè secundum se spectato, is enim per veniale peccatum non tollitur, aut minuitur: consistit ergo in habitu charitatis, quatenus connotante certa quadam requisita extrinseca, quæ sunt triplicia. Primò voluntas expedita ab impedimento inordinatæ adhesionis; secundò ob-



fecta & materiae diversarum virtutum; tertio abundantia & specialia auxilia divinae gratiae, quibus mediantibus in suos actus elicitos, vel imperatos suaviter procedat. Hoc ipso quippe quod voluntas careat inordinata adhaesione ad res creatas, charitas divina habet jus acceptabilitatis ad specialiora auxilia divinae gratiae pro variarum virtutum actibus imperandis: quae de causa recte ab Elparza vocatur familiaritas cum DEO: nam sicut amicitia simpliciter consistit in charitate: ita familiaritas, quae est flos amicitiae, & extensiva perfectio ipsius, consistit in amabili jure ad abundantiora auxilia divinae gratiae pro variarum virtutum actibus exercendis.

6. Notandum sextò. Ex hucusque dictis constare, quatuor effectus à peccato veniali relinqui. Primus est inordinata adhaesio ad rem temporalem: Secundus carentia illius nitoris, quem anima habuisset, per actus virtutum, si in ordinatâ illâ adhaesione non posuisset impedimentum. Tertius est carentia acceptabilitatis & juris amicabilem ad abundantiora gratiae efficacis auxilia. Et quartus minor facilitas extensiva, seu major tepiditas ad exercendos charitatis, aliarumque virtutum actus. His positis quaeritur, in quonam istorum formaliter consistat macula peccati venialis?

## §. II.

## Resolutio quaestionis.

7. **CONCLUSIO.** Macula peccati venialis formaliter non consistit in peccato praeterito non revocato, (2) neque in positiva inclinatione & adhaesione ad res creatas (3) neque in privatione vel absentia actuum charitatis (4) sed in privatione fervoris extensis charitatis primum expositi.

Ratio primae partis est primò, quia S. Scripti, dicit, hominem etiam per peccatum veniale maculari: ergo cum hoc sit fundamentum maculam peccati mortalis constituendi in aliquo, quod sit animae intrinsecum, etiam est fundamentum idem asserendi de macula peccati venialis: sed peccatum praeteritum non est intrinsecum animae: ergo.

Secundò. Macula ut sic significat formaliter privativam carentiam alicujus nitoris debiti: ergo etiam macula peccati venialis. Tertio. Si macula venialis formaliter consisteret in peccato praeterito, tunc non remitteretur formaliter nisi per actum formaliter aut virtualiter oppositum: sed hoc non posse dici constabit ex probatione tertiae partis.

8. Ratio secundae partis praeter modò dictas ulterius est primò. Conversio habitualis in mortali se habet tanquam materiale: ergo etiam in macula venialis peccati ita se habet. Secundò. Contactus corporeus non est ipsa macula corporea, sed causa & dispositio ad ipsam: ergo etiam inordinata adhaesio ad res creatas, quae est quasi contactus animae, non est ipsa macula, sed dispositio ad ipsam. Tertio. Omne ens positivum est à DEO: macula non est à DEO: ergo non potest esse formaliter ens positivum.

9. Ratio tertiae partis est: si macula peccati venialis consisteret in privatione actus à charitate elicitus, vel imperati, tunc veniale non posset remitti nisi posito ejusmodi actu: quia privatio

non tollitur nisi per formam oppositam: sed consequens est falsum: ergo. Minor probatur: Venialia remittuntur in Sacramento ex opere operato per infusionem gratiae, dummodo saltem per virtuales attritionem homo sit dispositus ad ipsorum remissionem: sed in eo casu non semper adest actus charitatis: ergo. Majorem habet S. D. in 3. p. q. 87. a. 3. in c. dicens: *Per Sacramenta nova legis remitti peccata venialia, in quantum per illa infunditur gratia.* Minor probatur: partim quia experientia constat, in suscipiente Sacramentum non semper excitari actum charitatis, praesertim si sit distractus, vel ante completum Sacramentum incidat in phrenesin, &c: partim quia si remissio venialium in Sacramento fieret per excitatos actus charitatis, remissio magis fieret ex opere operantis, quam ex opere operato: neque Sacramenta haberent majorem virtutem ad remissionem venialium, quam habeant sacramentalia, quod est contrarium doctrinae D. Th. remissionem venialium per Sacramenta expressè distinguens ab illa quae fit per sacramentalia, dum loco cit. ita loquitur: *Remissio per Sacramenta fit in quantum infunditur gratia & per infusionem gratiae tolluntur venialia: per sacramentalia vero, in quantum sunt cum aliquo motu dejectionis peccati, vel reverentiae in DEUM.*

Ratio quartae partis est: Macula peccati venialis debet formaliter consistere in defectu & carentia morali alicujus nitoris debiti inesse animae: sed alius nitor non est assignabilis, quam ipse fervor & extrinseca perfectio charitatis: ergo. Minor probatur: Ille nitor vel esset ipsa entitas & habitus charitatis, vel actus, vel intentio, vel modalis perfectio, vel tandem extensiva & connotativa perfectio ipsius. Non est ipse habitus vel intentio ipsius, quia per veniale nec amittitur, nec minuitur: non actus, quia iste ad remissionem peccati venialis non requiritur: non modus, quia non datur: superest ergo ut sit connotativa & extensiva perfectio charitatis.

Objicies auctoritatem S. D. hic q. 89. a. 1. in 1. c. dicens, quod peccatum veniale tantum inducat maculam secundum quid, et quod non tollat permanentem nitorem gratiae & charitatis, sed transeuntem, & quasi extrinsecum, qui reluctet in actibus charitatis. Ergo videtur D. Th. maculam peccati constituere in privatione ipsorum actuum charitatis.

Respondeo per veniale tolli nitorem ipsorum actuum consecutivè, formalis verò & per prius fervorem extensivum: qui ipse fervor cum facilis modis modò minuat, modò recuperetur, non tam habet rationem nitoris permanentis, quam transeuntis: ideoque privatio ipsius non est macula simpliciter, sed secundum quid; praesertim cum potius sit privatio moralis, quam physica: sicut & ipse fervor potius est forma moralis, quam physica.

Colliges ex dictis: sicuti subjectum proximum 1. macula peccati mortalis est ipsa animae substantia, siquidem forma opposita, nempe gratia sanctificans, in ipsa animae substantia subjectatur: sic ex opposito proximum subjectum maculae venialis esse voluntatem; quippe in qua fervor charitatis ceu forma opposita subjectatur.

ARTI-



## ARTICULUS IV.

## Quodnam sit subiectum remotum peccati venialis.

## SUMMARI A.

1. Quilibet homo viator potest peccare venialiter in presenti statu.
2. Non autem in termino viae.
3. Homo in statu innocentia non potuit peccare venialiter.
4. Nec Angelus viator potuit peccare venialiter.
5. Disparitas cur in statu innocentia potuerit peccari mortaliter, non autem venialiter?
6. Disparitas inter gratiam naturae reparatam, & integram.
7. Quomodo potuerit Adamo sub veniali prohiberi comestio pomi?
8. Cur Adamus potuerit mereri vitando venialia, non autem illa committere?

## §. I.

*An Angelus, vel homo in statu innocentia potuerit peccare venialiter?*

1. Certum est primò. Quemlibet hominem viatorem in presenti statu naturae lapsae posse peccare venialiter, ut amplius dicitur in Tract. de gr. B. V. excepta, quam speciali privilegio à venialibus etiam peccatis præservatam fuisse pie credit tota Ecclesia ex communi PP. doctrina.
2. Certum est secundò. Extra statum viae five in termino beatitudinis, five in termino damnationis non esse locum peccato veniali. Non in termino beatitudinis, quia status beatificus essentialiter excludit quamcunque levissimam miseriam, errorem, & offensionem DEI, quandoquidem quæcunque volunt & amant, illa volunt sub ordine ad DEUM & summum bonum clarè visum. Non in termino damnationis, quia ille status facit, ut damnati quæcunque agant ex odio DEI, adeòque induant mortalem malitiam. Neque refert, quòd legantur Dæmones aliquando ad quasdam levitates & jocos, qui non nisi venialem malitiam continent, homines instigasse: nam & ista non agunt nisi ex pessima intentione, homines à DEO ad suum cultum & familiaritatem abstrahendi. Hoc posito, sit
3. CONCLUSIO PRIMA. *Homo in statu innocentia non potuit peccare venialiter.* S. D. q. 89. a. 3.

Ratio ipsius est primò. In quolibet peccato veniali supponitur defectus debite subordinationis inter vires inferiores & superiores: atquæ talis defectus repugnat in statu innocentia: ergo in eodem statu repugnat peccatum veniale. Major probatur. Peccatum veniale vel est tale ex subreptione, & defectu plenae deliberationis, vel ex genere & conditione objecti, vel ex parvitate materiae: sed in omnibus istis modis invenitur aliqua turbatio debiti ordinis: nam peccatum ex subreptione ideo contingit, quòd appetitus inferior antevertat deliberationem & perturbet iudicium rationis: si est peccatum veniale ex genere suo, vel parvitate materiae, tunc ideo fit, quòd ratio inferior, quæ operatur circa media,

non servet debitam subordinationem ad rationem superiorem ultimo fini immobiliter adherentem, ut habet S. D. q. 89. a. 3. vel enim ratio inferior fertur in media, ut regulata à ratione superiori firmiter adherente fini ultimo, aut non. Si primum; non potest esse deordinata circa media, adeòque nec potest esse veniale peccatum: si secundum; ergo non operatur ut subordinata rationi superiori. Minor constat. In hoc quippe status innocentia consistebat, quòd cum esset status naturæ felicitis & integræ, ratio superior esset subordinata DEO, ratio inferior superiori; ex qua deinde subordinatione reliquarum etiam virium subiectio & debita subordinatio promanebat.

Ratio est secundò ex arg. *Sed contra.* Status innocentia repugnat quolibet malum, peccatas & miseria: sed peccatum veniale est anime miseria inducens reatum poenæ, & per peccatitiam, quæ est quadam afflictio spiritus, expiari debet: insuper ex eiusmodi frequentatis aditus potuisset generari habitus vitiosus, qui est miseria naturæ rationalis: ergo peccatum veniale repugnabat pro statu innocentia. Major est communis Theologorum è S. Aug. l. 14. de civit. DEI dicente: *Nec aberat quicquam, quòd bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quòd carerem innumumve hominis feliciter viventi offenderet.* Quæ rationes cum procedant ex natura status innocentia, probant, impotentiam peccandi venialiter statui innocentia convenire non tantum ex protectione DEI extrinseca, sed etiam ex intrinseca exigentia status illius.

CONCLUSIO SECUNDA. *Angelus viator non potuit peccare venialiter.* S. D. a. 4. Ratio est primo ex dictis. Major longè fuit peccatio Angeli viatoris, quam hominis in statu innocentia: ergo si iste non potuit peccare venialiter, obstante perfectà virium subordinatione, multò minùs Angelus potuit venialiter peccare.

Ratio est secundò: quia sicut intellectus Angelicus attingit conclusiones in ipsis principiis sic voluntas ipsius non fertur in media, nisi prout stant sub ordine finis ultimi: ergo non potest deordinari circa media, nisi hoc ipso deordinato circa ultimum finem: sed hoc est peccare mortaliter: ergo.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

Obijcies primò. Iustitia originalis non præservabat hominem à peccatis mortalibus: ergo neque præservasset à venialibus. Contra: quæntia probatur: Mortale peccatum est incomparabiliter majus malum, quam veniale: ergo si ipsius malitia, miseria, & inordinatio non fuit impedita per iustitiam originalem, neque minor longè miseria peccati venialis fuisset imposita.

Respon-



Respondeo negando paritatem, & causalem probationis. Ratio disparitatis est: quia cum status innocentiae non esset sua natura inamissibilis, potuit in illo committi peccatum tantae inordinationis, per quam ipse status perderetur & destrueretur: quia verò non potuit in sensu composito simul consistere cum aliqua miseria, & vitium deordinatione, idcirco excludebat peccatum veniale, quippe quod ad destruendam iustitiam originalem non fuisset sufficiens, & tamen supposuisset inordinationem vitium inferiorum cum superioribus statui innocentiae repugnantem.

6. Objicies secundò. Gratia, quam in statu naturae reparatae habemus ex meritis Christi, plus potest ad conjunctionem hominis cum DEO, quam gratia iustitiae originalis: sed illa comparatur peccatum veniale: ergo & ista.

Respondeo negando paritatem & causalem ipsius: nam impotentia venialiter peccandi in statu iustitiae originalis non praecise oriebatur ex conjunctione rationis superioris ad DEUM, sed ex illa quatenus includente donum integritatis, & subjectionem vitium inferiorum ad superiores, & excludente omnem miseriam.

7. Objicies tertio. Potuit DEUS comestionem de ligno scientiae prohibere sub peccato veniali: sed tunc Adamus utique tantum peccasset venialiter: ergo potuit Adamus in statu innocentiae

peccare venialiter. Confirmatur. Nulla apparet repugnantia, cur Adamus non potuerit dicere verbum otiosum, quod est ex genere suo veniale: imò forsitan Adamus defacto peccavit nimis curioso aspectu pomi, vel Eva otiosa confabulatione cum Serpente? neque enim ista excedunt limites peccati venialis.

Respondeo distinguendo majorem. Potuit DEUS sub peccato veniali prohibere comestionem, ut incurrendo post suppositam amissionem iustitiae originalis per mortale peccatum, concedo; antecedenter, nego. Non enim potuisset Adamus errare circa media ad finem, priusquam errasset circa ipsum ultimum finem.

Ad confirmationem eadem est responsio. Nam priusquam Adamus commisisset eiusmodi peccatum leve, iam prius naturam aberrasset à fine ultimo per mortale peccatum, illa verò curiositas, qua primi parentes defacto peccarunt, iam supponit finem superbiae mortaliter malum.

Objicies quartò. Potuit Adamus mereri vitando peccata venialia: ergo etiam poterat illa libere committere; siquidem meritum est de materia libera.

Respondeo negando consequentiam; quia ad merendum sufficebat ipsi libera potentia contradictionis, saltem ex suppositione status innocentiae [de quo aliàs] non autem ad peccandum venialiter.

## ARTICULUS V.

### Utrum peccatum veniale possit consistere cum solo originali?

#### SUMMARIUM.

1. Quid intelligatur per primum instans rationis!
2. Conversio in DEUM alia explicita, alia implicita.
3. Probatur obligatio se in primo instanti rationis convertendi in DEUM.
4. Peccatum originale non stat cum solo veniali.
5. Qualis sit imperfectio deliberationis in puero veniente ad usum rationis?
6. 7. Solvuntur objectiones contra obligationem se convertendi in DEUM in primo instanti rationis.
8. An illa conversio esset supernaturalis?
9. Respondetur affirmativè.
10. Adhuc tamen darentur infideles negativè.

#### §. I.

Statuitur obligatio in primo instanti rationis se convertendi in DEUM.

Resolutio hujus quaestiones pendet à resolutione alterius; utrum homo in primo instanti usus rationis, sive quo tempore primò potest discernere inter bonum & malum morale, ipsique occurrit occasio sese determinandi ad bonum honestum, vel delectabile, teneatur sub peccato mortali se convertere in DEUM saltem sub confusa ratione boni honesti implicitè cognitum? Pro cuius explicatione

Notandum primò. Per primum instans rationis non intelligi aliquid instans indivisibile & momentaneum temporis, physicum aut mathematicum, sed instans moraic, h. e. totum illud

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

temporis spatium, quo tardius aut citius juxta diversitatem ingeniorum practicus discursus absolvitur, in quo puer deliberat, seque determinat, an bonum honestum, vel praehonesto bonum sensibile & delectabile amplecti debeat? quod proinde instans è pluribus physicis instantibus integratur, è quibus primum vocatur instans initiativum, ultimum verò completivum, seu terminativum.

Notandum secundò. Hominem vel explicitè vel implicitè in DEUM converti posse. Explicitè convertitur, si actu dilectionis fertur in DEUM, vel ut authorem naturalem sub lumine rationis, vel ut authorem supernaturalem sub lumine fidei cognitum. Certum est, non esse impostam cunctis hominibus obligationem, sese in primo instanti usus rationis explicitè convertendi in DEUM, cum experientia constet, multos è barbaris, rudibusque hominibus in sylvis vel alpidibus natos & educatos, nullam habere, aut habere posse explicitam cognitionem de DEO, quippe quae non nisi per auditum, aut longiorem discursum obtinetur.

CONCLUSIO PRIMA. Puer in primo instanti usus rationis tenetur se convertere in DEUM ut ultimum finem, eo modo, quo potest; h. e. explicitè, si DEUS ipsi representatur explicitè, [ut contingit inter doctiores pueros fidelium] implicitè verò, si DEUS tantum confusè & implicitè representetur, ut solet inter barbaros & infideles contingere. S. D. a. 6.



Ratio est primò. Quamprimum homini lex naturalis sufficienter promulgatur, tenetur eandem acceptare sub peccato mortali; sicuti quamprimum homini lex Evangelica sufficienter innotescit, tenetur illam amplecti, proponendo vivere secundum illam: sed quamprimum homo pervenit ad usum rationis, ipsi sufficienter intimatur lex naturalis de sui conversione in debitum finem: ergo tunc sub mortali obligatur illam acceptare. Minor probatur: Quamprimum homini occurrat & proponitur deliberandum, an sequi debeat bonum honestum, vel delectabile, tunc luminis naturalis, & synteresis illustratione ipsi dicitur, bonum honestum sensibili & delectabili esse præponendum: sed quod in primo instanti usus rationis homini occurrit, est, ut deliberet de seipso, num sequi debeat bonum honestum, an delectabile? ergo etiam homini ad usum rationis venienti sufficienter intimatur lex naturalis de prosequendo honesto; adeoque de conversione saltem implicita sui ipsius in DEUM, quam proinde omitendo peccabit mortaliter.

Ratio est secundò. Datur præceptum affirmativum, pro tempore determinato DEUM diligendi super omnia, seque in ipsum ut ultimum finem convertendi: ergo tenetur homo in primo instanti usus rationis DEUM diligere super omnia, eo modo quo potest, nimirum vel explicitè, vel implicitè, juxta mensuram cognitionis. Consequentia probatur. Non est aliud tempus magis conveniens pro hujus præcepti observantia, quam quo homo pervenit ad usum rationis: ergo si unquam est obligatio hujus præcepti, tunc est. Antecedens probatur primò: quia maxime est consentaneum rationi, tunc præfigere viam terminum, cum viam incipit: sed in primo instanti usus rationis homo incipit proprie esse viator & mortaliter ingreditur mundum. Secundò: quia tunc legi naturæ homo actu subicitur quoad universa præcepta ipsius, inter quæ primum & finis reliquorum est, DEUM diligere. Tertio: quia alia tempora assignabilia pro observantia hujus præcepti, longe minus sunt accommodata, vel quia nimis remota & sera, ut tempus mortis, vel quia tantum habent obligationem DEUM diligendi per accidens & communem omnibus, ut tempus gravis tentationis. Quarto: quia Angelus in primo instanti viæ habuit præceptum DEUM super omnia diligendi: ergo & homo in primo mortali instanti suæ viæ. Hinc jam facili viâ sequitur præsentis §. resolutio. Unde.

## §. II.

## Resolutio questionis.

4. **CONCLUSIO SECUNDA.** Peccatum originale non potest consistere cum solo veniali. S. D. h. c. a. 6.

Ratio ex doctrina præcedenti deducta est primò: Aut homo in primo instanti usus rationis convertitur in DEUM; & tunc per gratiam consequetur remissionem peccati originalis, inquit S. D. a. 6. in c. quia DEUS faciens quod in se est, non denegat suam gratiam; aut non convertitur in DEUM; nec seipsum ordinat ad debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis,

& tunc peccat mortaliter, non faciens quod in se est ad implendum naturale præceptum seipsum ordinandi in debitum finem ultimum: ergo peccatum veniale nunquam consistit cum solo originali. Consequentia probatur: Homo vel peccat venialiter ante instantem usum rationis, vel in illo, vel post illud. Non ante: quia tunc supponitur adhuc destitutus facultate moraliter operandi. Non in illo: quia vel justificatur, vel peccat mortaliter, ut ostendimus. Non post illud: quia in ipso instanti usus rationis supponitur vel justificatur, vel actuali peccato mortali inquinatus, quod non nisi una cum originali remitti potest.

Ratio est secundò ex argum. *Sed contra.* Videtur inconveniens, ut homo in præsentis vite caelestem statum obtineat, cui nullus locus & status respondeat in altera vita: sed habenti simul originale & solum veniale peccatum, nullus responderet status in altera vita. Nam ponere, talem hominem mori, is non veniret in infernum: quia hic est locus supplicii æterni pro peccatis moralibus actualibus. Non in purgatorium, quia hoc est locus supplicii temporalis pro solis venialibus nondum plenè expiatis. Non ad limbum puerorum, quia iste deputatus est pro solo originali infectis & cætera innocentibus. Non etiam in cælum, ut per se patet.

## §. III.

## Solvuntur Objectiones.

**Objectiones primò.** Priusquam puer habeat iudicium perfectum de malitia objecti & perveniat ad statum perfectæ deliberationis, potest habere iudicium imperfectum, & imperfectam deliberationem: sed imperfecta advertentia & deliberatio sufficiunt ad peccatum veniale: ergo prius puer poterit peccare venialiter, quam peccet mortaliter. Major probatur: quia ratio in homine successivè expeditur, neque instanti usus rationis est mathematicum, sed morale ab actibus imperfectioribus ad perfectiores progrediens: ergo homo prius pervenit ad usum rationis imperfectum, quam ad perfectum.

Confirmatur à paritate adultorum, qui dum excitantur à somno, vel ex ebrietate ad mentem redeunt, aliquando tantum habent usum rationis sufficientem ad peccandum venialiter propter imperfectam cognitionem & deliberationem: ergo idem dicendum de puero veniente ad usum rationis.

Respondeo negando maj., & ratio est, quia primum instanti rationis nihil sit aliud, quam primus discursus practicus, quo puer discernit inter bonum & malum; atque facilius discernitur & cognoscitur majus malum peccati mortalis, quam minus malum peccati venialis: unde homo perveniens ad hoc ut possit discernere malitiam venialis peccati, multò magis habet potentiam discernendi malitiam peccati mortalis: sicut qui cognoscit furtum unius oboli esse illicitum, magis cognoscit illicitum esse furtum magis ducati, &c.: objectum quippe quanto magis disconveniens alicui potentia, tanto facilius illa ut tale apprehenditur. Ad probationem ergo consequentiam: nam est instanti usus ratio



nis plures actus includat à primo & initiatio instanti usque ad ultimum & consummativum ipsius, tamen usus ipse rationis seu facultas discernendi inter bonum & malum acquiritur in instanti completivo discursus practici, ubi habetur plena cognitio & deliberatio.

Ad confirmationem nego consequentiam: nam cum veniale peccatum committitur ex simpli deliberatione tempore imperfectæ vigiliæ, id non contingit quia tantum habet facultatem ad imperfectè deliberandum, sed quia facultas ad perfectè deliberandum hic & nunc turbatur, & impeditur, ut actu non perfectè deliberet: atqui puer in primo instanti usus rationis primum acquirit potentiam ad perfectè deliberandum; quæ proinde ad imperfectè deliberandum ligata & impedita esse non potest.

6. Obijcies secundò. Si puer in instanti usus rationis se non convertens in DEUM, mortaliter peccaret, esset ideo, quia haberet gravem obligationem seipsum ordinandi in debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, ut loquitur S. D. citatus; sed talis obligatio non est: ergo. Minor probatur primò; quia tale præceptum neque autoritate Script. neque SS. PP. neque ratione constat. Secundò. Nemo est sollicitus, an hoc præceptum impleverit, neque fideles de tali peccato se accusant. Tertio. Quia parvuli ad usum rationis venientes non habent talis præcepti notitiam, ideoque per invincibilem ignorantiam ab ejus transgressione excusantur, cum de facto multi sequentes contrariam opinionem habeant istius præcepti invincibilem ignorantiam. Quarto. Pueri baptizati ferè semper amitterent gratiam, cum ad usum rationis perveniunt, quia pauci sunt, qui se per amorem DEI super omnia convertant in debitum finem ultimum.

7. Respondeo, negando minorem, cujus obligationis existentiam ostendimus in §. I. Unde ad contrarias probationes & ad 1. Respond. Præceptum de diligendo DEUM constare ex Script. PP. & ratione; quod autem illud obliget in primo instanti, id probat autoritas S. Doctoris, & lumen rationis. Ad 2. Respondeo. Id fieri quia fideles adulti se supra talem obligationem non referunt, vel oppositæ sententiæ probabilitati deferunt. Ad 3. nego antecedens: quia pertinet ad authorem naturæ manifestare obligationem istius præcepti, tanquam omnium primi, & ex quo totus ordo practicus derivatur. Nec est paritas ab adultis viris istud præceptum invincibiliter ignorantibus: nam pueris in primo instanti mediante dictamine synteresis illud præceptum practice & in actu exercito ita clarè proponitur, ut illud ignorare, aut de illo dubitare non possint. Quia verò hæc propositio & promulgatio præcepti unà cum morali instanti usus rationis finitur & transit, ad novam illius præcepti cognitionem novus etiam discursus requiritur, qui cum passionibus aut variis rationibus dubitandi facillè turbetur, ideo contingit, multos de hujus obligationis existentia de facto dubitare, qui in ipso instanti usus rationis de illa nequaquam dubitarunt. Ad 4. nego sequelam: nam

de multis pueris inter fideles probè educatis contrarium potius præsumi debet.

## § IV.

*Expeditur gravis difficultas ex Tractatu de gratia.*

Sed ex his insurgit nova difficultas ex Tract. de gratia quam pro hujus loci exigentia breviter resolvimus. Etiam si permittatur, in primo instanti usus rationis esse obligationem sese convertendi in DEUM: tamen non sequitur, quòd ille, qui se convertit in DEUM, justificetur à peccato originali: ergo si ille post hanc conversionem peccet venialiter, potest veniale consistere cum solo originali. Antecedens probatur: Huic præcepto & obligationi satisfacit per amorem honesti ut sic, si nempe puer sibi proponat honestè & secundum rationem vivere: sed amor honesti ut sic, non sufficit ad justificationem: ergo puer satisfaciendo huic præcepto non ideo justificatur à peccato originali. Major constat in primis, quia puer non potest ad plus obligari, quàm ipsi proponitur: sed aliquando tantum proponitur bonum honestum ut sic, in illis nimirum qui inter infideles nati & educati habent invincibilem ignorantiam mysteriorum fidelis, ideoque appellantur infideles negativi. Minor etiam constat, quia ad justificationem extra Sacramentum necessarius est amor DEI supernaturalis, præsupponens essentialiter fidem & cognitionem DEI ut auctoris supernaturalis: amor verò honesti ut sic est merè naturalis, & sic insufficiens dispositio ad justificationem.

Ad hæc difficultatem, cujus enucleatam resolutionem remitto ad Tractatum de gratia, relicta variis intricatis responsonibus. Resp. negando antec quia juxta Angelici Doctoris axiomata à Theologis communiter receptum, *DEUS homini facienti quod in se est, non denegat suam gratiam*; ideoque si in primo instanti usus rationis homo obliqueretur legi naturali sese convertendi in DEUM, ipsi infunderetur illustratio fidei, & acciperet gratiam justificationis. Ad probat. in contrarium, nego maj. & dico: Cum homo de facto sit in statu naturæ elevatæ in finem supernaturalem, non tantum obligari, ut se convertat in DEUM, ut Authorem & finem ultimum naturalem, sed etiam ut Authorem & finem supernaturalem, adeoque per actum supernaturalem, & virtute auxilii supernaturalis. Quod quidem dupliciter fieri potest, vel explicitè, vel implicitè; juxta modum nimirum, quo DEUS sub ratione ultimi finis magis vel minus explicitè & perfectè representatur. Si ergo præviâ fidelis illuminatione & instructione DEUS explicitè representetur ut remunerator, seu Author vitæ supernaturalis, tenebitur puer in primo instanti usus rationis se in ipsum explicitè convertere per actum dilectionis DEI super omnia: qui proinde in casu, quo peccatum originale nondum esset extinctum, sufficeret ad ipsius remissionem & justificationem. In casu verò, quo defectu Evangelicæ prædicationis ratio finis ultimi tantum confusè representaretur, ita ut puer nec illos qui



quidem articulos, quorum fides in omni statu est necessaria ad salutem, quod nempe *DEUS sit, & inquirentibus remunerator sit*, Hebr. 11. distinctè cognosceret, saltem habebit supernaturalem illustrationem & cognitionem honesti supernaturalis, quod nempe detur regula quædam mundo & naturâ superior nostrarum operationum directrix, cujus ductum sequi oporteat. Cui regula si se puer supernaturali voluntatis actu conformet, & secundum illam vivere proponat, sicque faciat quod in se est, non quidem vi istius præcisè actûs justificabitur: sed tamen dispositum se faciet, ut *DEUS* ipsi articulos fidei ad salutem explicitè credi necessarios revelet, atque ad perfectum sui amorem perducendo gratiam peccati originalis remissivam infundat. Si verò huic supernaturali vocationi & inspirationi non consentiat, peccabit mortaliter, contra præceptum sese convertendi in *DEUM* saltem implicitè & confusè sub ratione honesti supernaturalis cognitum.

Dices. Hâc ratione non dabitur ullas infidelis negativè: quia qui resistit illustrationi supernaturali in fide, non est infidelis negativè [h. e. habens quidem carentiam fidei, sed sine sua culpa] sed omnes pueri venientes ad usum rationis habent illustrationem supernaturalem in fide: quia prima illustratio supernaturalis, qualis ista esse supponitur, est illustratio fidei: ergo nullus esset infidelis negativè, quod est contra communem Theologorum acceptam ex D. Augustino.

Respondeo, negando consequentiam, & majorem probationis distingo: Qui resistit illustrationi distinctè representanti necessariis articulos ad credendum, est infidelis privative concedo; tantum confusè representanti, & ad ulteriorem disponenti, nego: sed omnes pueri habent illustrationem supernaturalem, vel confusè vel distinctè representantem finem supernaturalem, concedo; semper distinctè, nego min. & consequentiam. Vide quæ loco cit. dicemus.

